



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De sapientia & scientia quo differant. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



dici naturalis vel humanus, qui omnibus hominibus inest, quo horretur mors ac formidatur poena. Et dicitur timor iste naturalis, non quia accesserit homini ex natura secundum quod prius fuit instituta: quia non fuit iste timor concretus homini, nec de bonis naturalibus: sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus aduenit: cui corruptio inoleuit, tanquam esset naturalis: & est iste timor, & effectus peccati, ut praedictum est.

QUOMODO DIFFERANT SAPIENTIA  
& scientia.

DISTINCT. XXXV. A

*Aug. in 14. l.  
de tri. c. 2. ad  
medium.*

*1. Cor. 12. b*

Post praemissa diligenter considerandum est, in quo differat sapientia a scientia. De hoc Aug. ita ait, Philosophi disputantes de sapientia definiunt eam, dicentes. Sapientia est rerum diuinarum humanarumque scientia. Ego quoque utrarumque rerum cognitionem, id est diuinarum & humanarum & sapientiam & scientiam dici posse non nego. Verum iuxta distinctionem Apostoli, qua dixit. Alii datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae, illa definitio diuidenda est: ut rerum diuinarum cognitio sapientia proprie nuncupetur, humanarum vero rerum cognitio proprie scientiae nomen obtineat. Neque vero quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum superuacuae vanitatis & noxiae curiositatis est, huic scientiae tribuatur: sed illud tantum quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam: aliud est scire quomodo hoc ipsum & piis opituletur vel contra impios defendatur: quae proprio vocabulo appellatur scientia: De his quoque duabus virtutibus idem Aug. differentiam inter eas assignans super

*Au. ad ver.  
6. Qui fir-  
mavit ter-  
ram.*



Super Ps. ait, Distat sapientia quodammodo à scientia, testante sancto Iob, qui quodammodo singula definiens ait. Sapientia est pietas, scientia vero abstinere à malis. Pietatem vero hoc loco posuit Dei cultum: quæ græce dicitur *θεοσεβία*: quæ est in cognitione & dilectione eius quod semper est & incommutabiliter manet, quod Deus est. Abstinere vero à malis est in medio parvæ nationis prudenter conuersari. Idem quoque inter hæc duo aperte distinguens ait in lib. 12. de trin. Distat ab æternorum contemplatione actio, qua bene utimur temporalibus rebus: & illa sapientiæ, & scientiæ deputatur, quamuis & illa, quæ sapientiæ est, possit nuncupari scientia: vt Apostolus asserit vbi dicit. Nunc scio ex parte, quam scientiam profecto contemplationis Dei vult intelligi. In hoc ergo differētia est: quia ad contemplationem sapientia, ad actionem vero scientia pertinet. Ecce aperte demonstratum est, in quo differat spiritus sapientiæ, & spiritus scientiæ, sc. vt sapientia diuinis, scientia humanis attributa sit rebus. Et ideo docet Aug. vtrunque agnoscimus in Christo, scil. & rem diuinam & rem humanam: & ideo de ipso habemus sapientiam & scientiam. Cum n. legitur, Verbum caro factum est, in verbo intelligitur verus Dei filius, in carne agnoscitur verus hominis filius. Itē cum dicitur, videmus plenum gratiæ & veritatis: gratiā referamus ad scientiam, & veritatē ad sapientiā: quia in Christo sapientiā & scientiā fuit plenaria, & nos scientiā & sapientiā de eo habemus, q. est Deus & homo.

*In quo differat sapientia ab intellectu.* B

Ostensa differentia inter scientiam & sapientiā, quid distet inter sapientiā & intellectū videamus. In hoc differunt illa duo: quia sapientia proprie est de æternis, quæ veritati æternæ contēplandæ intēdit. Intelligētia vero non modo de æternis est: sed etiam de rebus inuisibilibus & spiritualibus tēporali-

Tt 5 rati-

*Psal. 135. Et  
ca. in Ench.  
& ca 14. li.  
12. de trin.  
Iob. 28. d.*

*Ca. 14. ad  
principium.*

*1. Cor. 13. d*

*Ibid. paulo  
inferius.*

*In lib. 13. de  
tri. ca. 19. in  
medio.*

*Ioan. 1. b*